

nem Thomæ Emes promisit & tam severe jussit b) sperandam, *majus illud fore miraculum dicens, quam quo Salvator Lazarum excitavit.* Sic ex JUDICII EXTREMI notitia tanto acriori sævit furore, sciens †) *parum sibi temporis superesse, ad quod quippe judicium magni diei servantur aternis vinculis sub caligine *) angeli illi apostatae, ab hominibus †) etiam DEO restitutis tum judicandi.* Atque statim à morte corporis animas impiorum ÆTERNÆ MORTIS addici, quotidianâ quasi experienciâ scire possunt. Sic personatus Samuel ad Saulem, quem DEO exosum esse ante dixerat, *cras, ajebat, *) tu ac filii tui mecum eritis.* Noscunt quid sit à DEO rejectum esse, dum tanquam *fulgur è caelo †) ceciderunt, noscunt catenas tenebrarum sibi injectas *) aternas.* Noscunt aeternum sibi ignem paratum †) esse, idque vel inde à maledictione serpenti post seductum hominem illata. Ita enim Irenæus c) ipse ex illo Matthæi loco explicat DEI verba ad serpentem: *Quoniam fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus & omnibus bestiis terra.* Hoc idem, dicens, & Dominus in Evangelio his qui à sinistris inveniuntur ait, *abite maledicti in ignem aeternum, quem preparavit pater meus diabolo & angelis ejus.* Significans, quod non homini principaliter preparatus est aeternus ignis, sed ei qui seduxit & offendere fecit hominem. Licet alias idem Irenæus d) cum Justino credat dæmones ignorasse suam damnationem, ante Christi id nunciantis adventum. Certe initio statim ministerii Christi norant expectandos sibi esse *) cruciatus βασιλικῶν & paratam abyssum, saltem ne accelerarentur futuræ graviores pœnæ, obtestati.

a) *De Vita Apollonii* IV, 45. b) v. Porphyrius l. c. pag. 58. 69. 164. c) *Adversus Hæreses* III, 35. d) L. V. c. 25.

§. XXI.

De Lege & Evangelio. Non vero minus, quam operum, etiam DIVINÆ VOLUNTATIS notitiam dæmones habere, nemo negaverit facile, & ex dictis etiam constare potest. Quippe qui S. Scripturam norint, & ad voluntatis Divinæ LEGALIS normam hominum actiones norint examinare & tum DEO tum ipsorum conscientia deferre & accusare. Et voluntatis DEI EVANGELICÆ notitiam non potest non habere serpens antiquus, cum vel ipsi & in pœnam ejus promulgatum